



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Avla ... Thesavorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi  
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

**Eyschen, Georg von**

**Coloniæ, 1656**

§. 72. Et si oportuerit me simul commori tibi, non te negabo. v. 31.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45533**

racito cogitationis præcepto indixi mihi, ut custodirem vias meas: aliae enim sunt viæ, quas debemus sequi, aliæ quas custodire. Sequi vias Domini, custodire nostras ne in culpam dirigantur. potes autem custodire, si non cito loquaris, lex dicit: Audi Israel Dominum Deum tuum, non dicit loquere sed audi, ideo Eua lapsa est quia locuta est viro, quod non audierat à Domino Deo suo. Prima vox Dei dicit tibi, Audi. Si audias custodis vias tuas & si lapsus es cito corrige. In quo enim corrigit junior viam suam, nisi in custodiendo verba Domini, Tace ergo prius & audi & non delinques in lingua tua. Graue malum ut aliquis ore suo condemnetur. Ergo Iesu custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea, solum silentium enim rationem non reddit in iudicio, nisi loqui debueris & tacueris sciens officium tuum.

§. 72. Et si oportuerit me simul commori tibi, non te negabo. v. 3. 1.

Chrysostomus putat Petrum prædicta verba dixisse ambitione, arrogantia, iactantia. accusat ergo eum in hoc factò tripliciter. primo quidè quia Christo contradixit aperte & quasi arrogans, plus sibi ipsi credit quam Magistro suo. secundo quia aliis discipulis se prætulit tanquam in amore magistri sui feruentiorem, & in fide firmorem: iudicare autem sibi estimare se, cæteris meliorem pertinet ad arrogantiam, & similiter ad Pharisæi iustitiam dicentis, Non sum sicut ceteri hominum. tertio autem quia totum sibi imposuit quasi nimis de se ipso confidens, scens si dixisset. Spero per Dei gratiam nunquam scandalizari, aut te negaturum, aut amouendum à te siue in vita siue morte. Sane ea ratione non peccasset superbia, quæ est inordinatus appetitus propriæ excellentiæ & denominatur ex hoc quod per voluntatem aliquis tendit videri id quod non est & est supra se: Alij humano affectui, & formulæ loquendi amicorum vulgari adscribunt dicta Petri. Ego Iudex in hac causa sedere nolo, cum ne quidem Sinuelianum concilium plusquam ducentorum Episcoporum in causa S. Marcellini Papæ, posquam thus Diis talis obtulerat, iudicare voluerit, sed supremam sedem à semetipsa iudicandam dictauerit.

**R**euvereor & honoro te S. Petre, apex Apostolorum, iudex Ecclesiæ, deosculor pedestuos quia te Christus super cæteros dilexit, et si ad horam lapsus es, externam confessionem Christi dimittendo, internam tamen fidem non deseruisti, sed lachrymis confessim prodidisti, locutus es verbum in excessu mentis, & caritatis, nondum à Spiritu S. confirmatus, ignosco casu tuo, ut ignoscas casibus meis, qui tenes claves regni,